PRIVILEGIA PROTONOTARIORUM APOSTOLICORUM TAM DE NUMERO…

PRIVILEGIA PROTONOTARIORUM APOSTOLICORUM

Tam de numero Participantium nuncupatorum Romæ exsistentium, quam Extraordinariorum, seu Honorariorum, ubique terrarum degentium.

Cum primæva eorumdem Institutione, ipsis non tantum, sed Episcopis, eorumque Vicariis, omnibusque jurisdictionem Ecclesiasticam exercentibus, scitu apprime necessaria

A JOANNE *BAPTISTA* SACCHETTO Presbytero Florentino, & J. V. D. collecta.



FLORENTIÆ, MDCCXLVII.

Ex Typographio Andreæ Bonducci. *Sup. Per.*

AD PROTONOTARIUM LECTOREM

JOANNES BAPTISTA SACCHETTUS

Um sæpe sæpius Romæ requisita Privilegia Protonotoriorum Apostolicorum propriis auribus audiverim, & nunquam reperta apud Bibliopolas fuisse cognoverim, ego qui longo & diuturno ocio semper vacavi pro inveniendis hujusmodi Privilegiis studium & diligentiam adhibere meum induxi animum, non solum utilitate cujusdam Amici, cujus gratia mens ad hoc mota fuit, sed ut etiam desiderio, & juri illa requirentis aliquo ex parte juvarem, ea propter Summor. Pontif. res gestas perlegi

eorumque Constitutiones perspexi, nonnullorum Auctorum libros evolvi, atque Sacræ Congregationis Decreta altas super ista materia edita, & sparsim impressa investigavi, adeo ut tandem collegi, Deo favente, omnia quæ potui ad prædicta privilegia pertinentia, atque in hisce paucis paginis una cum eorum primæva institutione restrinxi. Offero tibi igitur, quod tui honoris, & tuæ dignitatis est: Accipe, Lector, grato animo, & hilari fronte, licet enim parvum in quantitate tibi forsan videatur munusculum, maximum tamen in qualitate revera esse compereris, sicuti illo utendo cognoveris. Vale, & meum laborem, industriamque, diligentia & fidelitate conjunctam æqui bonique consulere non dedigneris.

Romæ 1651.

INSTITVTIO

PROTONOTARIORVM

APOSTOLICORVM

De numero Participantium, cum eorumdem Privilegiis.

QVoniam primis Ecclesiæ initiis in Vrbe Roma pro Christi Fide inter crudeles Imperatorum persecutiones Fidelium ac piarum personarum numerus quotidie augebatur, & quo magis illa sævitia debaccabatur, eo plures in dies varia tormentorum genera subire non pertimescebant; Ne igitur tot, tantorumque Virorum, ac Mulierum, eorumque virtutum, quibus hodie Christiana Religio resplendet, ullo unquam tempore memoria hominum mentibus excideret, nevè in posterum nemini nem quandoque lateret quonam pacto illorum pia gesta ubique gentium propagata fuissent, Clemens I. Romanus septem Notariis Regiones Vrbis totidem distri-

buit, ut Martyrum res gestas literis mandarent æternis, quod postea Antherius PP. Primus stabilius reddidisse legimus, quia occasione cujusdam Maximi, qui martyrio affectus fuit, curavit diligentissime, ut gesta Martyrum conquisita, atque per dictos septem Notarios descripta in Ærario Ecclesiæ custodirentur, ne memoria bene operantium admitteretur simul cum vita: Et sicuti Clementis, & Antherii Pontificum fuit illa religiosa institutio; ita evenit, ut successorum incuria intermissa a Iulio I. fuerit renovata, qui non solum Martyrum gesta, sed omnia ad rem sacram pertinentia per eosdem septem Notarios literarum monumentis mandanda curavit. Ita Ciacconus, Platina, Ceccharellus, ac alii in Vit. Pontific. & Polydorus Virgilius de Inventoribus lib. 4. c. 11. & Jacobatius de Conc. art. 5. num. 5. lib. 1.

Quamobrem prædicti Notarii ab illis, ac aliis Pontificibus quamplurimis privilegiis, honoribus, gratiis, preæminentiis, & prærogativis decorati fuerunt, ipsique ab inde citra omnibus Romanis Pontificibus tam in eorum Cappella, quam in aliis publicis locis, ubi iidem Pontifices interfuerint, uti illorum Prælati inservierint,

&

& ad diversas legationes, & officia missi fuere, ut testatur Sixtus V. in exordio suæ Constitutionis, de qua infra.

Præfatos Notarios, seu Protonotarios, ut hodie per quamdam excellentiam non ab re vocitat consuetudo, ut dixit Pius II. in illa Constitutione Cum servare, ut inferius dicimus, exercentes inquam Officium Protonotariatus, & gerentes habitum & rocchettum tam in civilibus, quam in criminalibus ab Ordinariorum jurisdictione exemit Leo X. ut in sua Constitutione, quæ incipit, Regimini edit. 4. Non. Maii 1515. ut in Bullar. tom. 2. §. 4. fol. 411.

In Cappella Pontificia Protonotarii Apostolici, de numero participantium nuncupati, locum habent, & resident in scamno cooperto aulæis post Cardinales, & ibi omnes Prælatos Curiæ Romanæ, exceptis Episcopis, Auditore Cameræ Apostolicæ, Gubernatore Urbis, & generali Thesaurario, antecellunt. Ita Cassaneus in Catalogo gloriæ Mundi, consid. 29. in princ. par. 4.

Habent in eadem Cappella immediate post Episcopos pacem, thurificationem, candelam, & palmam, & alia, & sic ante omnes Generales Ordinum, ante Oratores

Bononiæ, & Ferrariæ, & etiam ante Subdiaconos Apostolicos, Auditores Sac. Rotæ, & ante omnes alios Prælatos Curiæ Romanæ; Cassaneus ubi supra.

In Consistoriis publicis retinent locum, ut in Cappella, & possunt ibi intervenire, prout consuevit afici quatuor ex eis rogari, ut de rebus, quæ ibi geruntur instrumenta authentica conficiant, & secundum eorum institutionem, iuxta gradum Apostolici Solii honorabiliorem locum obtinent, Sedique Pontificiæ proximiores assident, ita decrevit, & declaravit Pius II. in Constitutione, quæ incipit: Cum servare. Datum Mantuæ pridie Idus Junii 1459. Bull. tom. 1. fol. 289.

In Consistoriis semipublicis idem servari legimus, quando in eis occurrat fieri aliqua singularis actio, ut renunciatio pilei Cardinalitii, cujus actiones instrumentum fieri, & eiusdem pilei consignatio fieri solet per unum ex dd. Protonotariis.

Itidem si quid unquam memoria dignum Pontifices faciunt per istos Protonotarios authenticum fieri consueverunt, prout fecit Clemens VIII., qui cum moraretur in Civitate Ferrariæ sponsalia inter Majestatem Philippi Regis Catholici per

Pro-

Procuratorem, & Sereniſſimam Principem, ſeu vulgo Principiſſam Margaritam, Archiducem Auſtriæ præſentem per Illuſtriſſimum Dominum Maffeum Barberinum Protonotarium Apoſtolicum (qui poſtea fuit Urbanus VIII.) authentica per inſtrumentum fieri mandavit, ut teſtatur Lunadorus in ſua Relatione Cur. Rom. (quam vulgo idiomate in lucem edidit) in cap. de Protonot. Apoſtolicis participantibus. Et ideo nonnulli dixerunt Protonotarios ſucceſſive loco Evangeliſtarum; nam ſicuti illi opera Chriſti ſcribebant, ut dixit D. Hieronymus in prolog. Evang. ita iſti ad ſcribendum acta, & geſta Pontificum ſubrogati fuere. Jacobatius de Concilio d. lib. 1. art. 5. n. 5. Caſſaneus vocat Protonotarios Apoſtolicos Secretarios Domini Noſtri Papæ, & eſſe majores poſt Vice-Cancellarium, ſimileſque Magiſtro Scriniorum dicit, qui diverſis nominibus nuncupati ſunt, d. conſid. 29. §. Et iſtud.

In aliis vero locis Protonotarii participantes, tam in Curia, quam extra, ubique gentium, atque terrarum Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes ſequi debent, eiſque cedere ex decreto Pii II. in d. Conſtit. Cum ſervare, tenentur, licet olim, &

an-

ante dictam Constitutionem illos praecedetent.

Sixtus V. praefatis septem Notariis, sive Protonotariis alios quinque superaddidit, ut in Constitut. quae incipit Romanus Pontifex edit. Kal. Septembris 1585. Bullar. tom. 1. fol. 382. adeo ut numerum duodecim Protonotariorum expleverit, qui omnes in Collegium pretio decem millium aureorum cooptantur, & nuncupantur de numero participantium, eo quia ex fructibus eorum Officii partem in Romana Curia percipiunt, ut dixit Polydor. Virg. loc. sup. cit. & Joan. Franc. Leo Thesaur. for. Eccles. cap. 2. par. 1. n. 34. & seq.

In hoc Collegium semper Illustrissimi Viri ex nobilibus & insignibus familiis adscribi solent, prout Illustriss. DD. Theodorus Trivultius Mediolanensis Princeps Cotugni, & Federicus Sforzia Romanus, ambo hodie S. R. E. Cardinales.

Idem Sixtus V. cupiens in sua antiquitate, & nobilitate conservare Protonotarios Apostolicos, ut aequum est, & majoribus etiam favoribus & gratiis prosequi volens, motu proprio, & non ad eorum istantiam, praedictis septem Protono-

ta-

tariis, & eorum cujuslibet nunc, & pro tempore existentibus privilegia in primis, gratias, exemptiones, facultates, libertates, immunitates, favores, praeminentias, decreta, declarationes, indulta quaecumque per quoscumque Romanos Pontifices concessa confirmavit, innovavit, & insuper cum extensione ampliavit, ut in Constitutione Laudabilis edit. Non. Februarii 1568. Bull. tom. 1. fol. 383.

In primis igitur Protonotariis de numero participantium doctorandi quoscumque in Pontificio, Caesareoque Jure, ac etiam in Sacr. Theologia, quisque eorum per se cum examine duorum, vel trium Doctorum ex illa scientia faciendo coram eis, aut aliquo eorum facultatem concessit, & praedictos Doctores eadem privilegia, ac si gradus hujusmodi in aliqua, etiam famosa Universitate suscepérint, *praeter quam quoad habilitatem ad Cathedrales Ecclesias* habere voluit ut in principio Bullae, Ibi ac nunc.

Notarios creandi eisdem per calamum, & atramenti thecam potestatem praestitit §. Notarios.

Spurios legitimandi ad successionem bonorum Ecclesiasticorum, & sine tamen prae-

præjudicio venientium ab intestato, aut ex fideicommisso, vel alia de Jure valida dispositione, & citra bona emphitheotica Ecclesiastica, aut ex fructibus ex rebus Ecclesiasticis confecta, vel per Ecclesiam acquisita, & derogationem Constit. Pii II. in illegitimos emanatæ, succedere, & quoscumque actus legitimos exercere, & ad quosvis honores, & dignitates, & publica officia, vel privata assumi, illaque debere exercere in omnibus voluit, ut in §. Cum spuriis.

Statuta, & ordinationes Collegiis Protonotariorum prosperum statum concernentia condere, & condita restringere, & ampliare toties quoties expedire videbitur, possint, & valeant, §. Nec non statuta.

Familiares continui Papæ, & Prælati domestici pariformiter, & non ad instar esse declaravit, & uti tales partem panis bonoris ex Palatio Apostolico ejusdem bonitatis, & qualitatis concessit, ut in §. Eosdemque Notarios.

Vestes lugubres ratione obitus Pontificis, & violaceas ratione Coronationis novi habere declaravit, §. Ac ipsis.

In publicis equitationibus cum mantellonibus duos, vel plures ex eis imme-

dia-

diate post Prælatos Assistentes equitare posse decrevit §. Et in cavalcatis. Et si in habitu Patriarchali, seu Archiepiscopali ancedant, prout incedere possunt, in hujusmodi functionibus Episcopi, si equitaverint cum Mantelletto & Rocchetto, non autem cum Mantellone, ut vulgo dicitur, quo in casu equitabunt post Protonotarios, & præcedentiam eisdem dare tenentur, sicut a Ceremoniarum Magistris D. N. PP. & a Sac. Rituum Congreg. sæpe sæpius decretum, & declaratum fuit, prout in m, s, Collegii dictorum Protonotariorum.

Literas Apostolicas super provisionibus quibuscumque expediendis post Pontificales Ecclesias, aut quocumque modo, etiamsi majores, Collegiales, vel principales fuerint, & pro omnibus aliis dignitatibus gratis pro eis expediri mandavit, §. Eisdemque Notariis pro tempore.

Privilegium etiam concessit dictis septem Protonotariis recipiendi taxam expeditionum, quæ in Curia Romana de Ecclesiis Cathedralium, & Metropolitanarum, nec non Monasteriorum, tam Consistoralium, quam per supplicationem, tam in Cancellaria, quam in Camera Apostolica,

etiam

etiam in partibus Infidelium, & etiam per viam secretam gratis ubique, etiamsi pro Clericis Cameræ Apostolicæ privilegiatis expediantur, nihilominus semper integram taxam debitam eisdem Protonotariis solvendam esse voluit: quodque nullo modo, nulloque tempore præmissis per successores suos specialiter derogatum fuerit ex quavis causa derogatum esse prætendi possit, quinimo jura ipsa dicto Collegio integre, ut præfertur, solvi non debeant auctoritate, & tenore præmissis, etiam perpetuo statuit, & ordinavit, §. Et insuper.

Quod idem Alexander VI. antea decreverat, & insuper ne aliquorum negligentia, seu malitia hoc privilegio ullo umquam tempore defraudentur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, & suspensionis fructuum per sex menses mandavit Abbreviatoribus majoris Præsidentiæ Cancellariæ, & aliis Officialibus, ne in literis expeditionum nomen suum apponere audeant, nisi prius in ipsis manus unius ex dd. Protonotariis apposita fuerit, quod idem sub eisdem pœnis Clericis Cameræ Apostolicæ observari mandavit.

Ju-

Julius II. prædictum privilegium Alexandri VI. in omnibus per omnia, juxta illius formam, & aliorum etiam prædecessorum suorum Romanorum Pontificum privilegia, indulta, prærogativas, & literas Apostolicas Protonotariis prædictis concessa, cum omnibus in eis contentis innotavit, & approbavit, ac perpetuum firmitatis robur obtinere decrevit, ut in Constit. edit. ann. 1506. 16. Kal. April.

Insuper Sixtus V. facultatem eisdem, eorumque consanguineis, affinibus, & familiaribus continuis commensalibus actu inservientibus deferendi quælibet arma, non tamen brevioris mensuræ alias prohibita, tam per Vrbem, quam per totum Statum Ecclesiasticum, absque alia speciali licentia concessit, ipsorumque listis dandis Vrbis Justitiæ stare, & locorum Statutis hujusmodi credere, & acquiescere decrevit, ut in §. Præterea.

Liberam inter vivos donandi & testandi de bonis mobilibus & immobilibus acquisitis licite tamen, ex bonis Ecclesiasticis in personas legitimas tantum producatis duobus millibus de Camera licentiam tradidit, & hoc etiam dimisso Officium locum habere voluit, §. Eisdemque Notariis, & jus cuilibet. Vl-

tem habent, ut in §. Quodque dicti feptem Notarii.

Protonotarii participantes, ftatim ac in Collegium cooptati fuerint, Referendarii utriufque Signaturæ creati intelliguntur, & unus antiquior ex eis in Signaturam Gratiæ, quæ fit coram Pontifice, affiftere poteft, §. Necnon qui ex dictis.

In quibufcumque actibus in Confiftorio publico pro tempore faciendo unum ex dictis Protonotariis accerfiri mandavit, qui & alii præfentes Notarii fi rogentur inftrumentum ad perpetuam rei memoriam conficiant, cui omnibus aliis inftrumentis, & fcripturis quibufcumque acta publica, quibus intervenerint, concernentibus unus ex eisdem Notariis manu fubfcriptis, ac fuo figillo munitis, & abfque teftibus plenam fidem in judicio, & extra, ubique locorum adhiberi voluit, §. Ac in quibufcumque.

In fabricandis proceffibus fuper Canonizatione Sanctorum conjunctim cum uno ex caufarum Palatii Apoftolici Auditoribus interveuire poffe decrevit, & §. Et cum Notariatus.

Unde in Sacra Rituum Congregatione a Sixto V. die 15. Martii 1587. erecta,

 ubi

ubi dicti Sanctorum processus discutiuntur, unus ex eisdem Protonotariis pro tempore semper ab ipsa dictæ Congregationis erectione usque ad hoc tempus intervenire consuevit, prout apparet in Decretis Urbani VIII. in Canonizatione, & Beatificatione Sanctorum servandis; ibi enim inter Cardinales dictæ Congregationi præpositos ponit etiam Protonotarium, & semper de eo circa causas, & processus Servorum Dei facit mentionem, ut in serie eorumdem videre est.

Insuper eadem Sac. Rit. Congregatio die 12. Martii 1642. Urbano VIII. annuente Protonotariis de numero participantium indulsit: Primo, quod in processibus fabricandis præcipue in examinandis testibus super martyrio alicujus Servi Dei in Curia omnino intervenire debeat R. P. D. Protonotarius pro tempore Sac. Rit. Congregat. Secundo, quod examen prædictum debeat esse subscriptum ab ipso D. Protonotario, alias examen nullam faciat fidem. Tertio, quod Notarius, qui examen prædictum recipiet, in hoc actu ipsi D. Protonotario subordinatus censeatur, & reputetur. Ita habetur in calce supradictorum Decretorum edit. anno 1642.

Re-

Redeundo ad privilegia Sixti V. monetas aureas, & argenteas in Coronationibus Pontificum in signum honoris habere voluit, §. Necnon aureas.

Constituit, ut duo ex eis Pontifici, dum solemniter, & pontificaliter in Cappella procedit, elevent fimbrias vestis Pontificalis, & alia facere, prout in eorum instructione apparet. Et deficientibus Principibus, aut Oratoribus, & Patriarchis, necnon Archiepiscopis, & Episcopis assistentibus caudam Pontificis posthabitis tunc temporis cæteris Prælatis, & Baronibus deferre ordinavit, ut in §. Eisdem septem Notariis, duoque ex illis.

Consistoria publica, & Cappellas Protonotariis præfatis a Cursoribus Papæ intimari, ac eisdem in Cappella, & in omnibus actibus, ut supra retulimus Candelas, Agnus Dei, & Palmas, prout Episcopis assistentibus dari mandatur, ut in §. Illisque omnibus.

Habent privilegium deferendi Pontificalia, & habendi secum Altare portatile, cum omni tamen reverentia in itinere, etiam in locis non sacris, & ordinariis, vel Apostolica, seu alia auctoritate interdictis ex quavis causa, etiam tempore

cessationis a Divinis, & ante diluculum & post meridiem, dummodo ipsi non dederint causam interdicto in illorum, & domesticorum, atque familiarium præsentia, per se, vel per alium celebrare facere possint, ut in §. Quilibet eorum mandavit.

Extra Vrbem dd. Protonotarii participantes, si Sacerdotes fuerint, in Missa solemni uti Mitra, ac aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus, requisito prius Præsule loci, & si absit, sine ejus licentia, nihilominus adhibere valeant, prout in §. Et qui ex eis.

Si per decennium officium Protonotariatus obtinuerint, & illud postea resignaverint, nihilominus Protonotarios esse, & vocari, eisdemque privilegiis, honoribus, præeminentiis, & exemptionibus omnibus per quinquennium, ita voluit, ac si in prædicto officio adhuc essent: Rocchettum tamen præterquam extra Vrbem deferre non posse, neque locum in Cappella habere, alios tamen Prælatos post Protonotarios incedendo præcedere decrevit, prout in §. Quodque idem.

Idem Sixtus omnibus Judicibus, & Of-

Officialibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus Urbis Romæ, & totius Status Ecclesiastici per se, vel per alios defensioni horum privilegiorum assistere, & Contradictores, & Rebelles cujuscumque status, gradus, & conditionis appellatione remota per censuras Ecclesiasticas, & pœnas pecuniarias, ac aliis pœnis compescere mandavit, ut in §. Mandantes.

Insuper omnia, & singula privilegia perpetuo valida, & efficacia existere, & suos effectus sortiri, & ab omnibus observari voluit, & sic, & non aliter per eosdem Cardinales, & Auditores, aliosque Iudices, & Commissarios sublata eis, & eorum cuilibet, quavis alia judicandi, & interpetrandi facultate, & auctoritate judicare, & definiri debere, non obstantibus Symmachi, & Innocentii IV., & Pauli I. & aliorum Summorum Pontificum Romanorum, & prædecessorum suorum contra exemptos editis, aliisque Apostolicis, ac in generalibus, & provincialibus, & synodalibus, & præsertim Concilii Tridentini non tamen quoad exemptionem ab eo sublatam, ac aliis Constitutionibus, & ordinationibus, legibus, sententiis, & aliorum Romanorum

Pontificum etiam prædecessorum suorum, vel aliis extravagantibus quibuscumque editis generalibus Constitutionibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque Romanæ Curiæ Officialibus, Collegiis, eorumque personis per quoscumque prædecessores suos, etiam motu proprio simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibus, ac aliis declarationibus, & decretis, etiam talibus, quod dictis Privilegiis Protonotariorum nullatenus, vel nisi de eorum, quorum interest, expresso consensu, & Cardinalium consilio, etiam consistorialiter derogari possit, etiam si inter alia caveatur expresse quod si eis derogari contingat, derogatio hujusmodi non valeat, nisi talis intentio derogandi aliquibus personis tunc expressis per diversas in forma Brevis literas cum intervallo unius mensis, seu alterius temporis eis præsentata prius, & insinuata fuerit, ac alias quomodolibet concessis, & concedendis. Quibus omnibus illorum tenoris, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habere, &c. harum sine specialiter,

& ex-

& expresse motu proprio derogat, cæterisque contrariis quibuscumque, &c. §. Et insuper, usque ad fin.

Sacra Rituum Congregatio, annuente Paulo V. sub die 17. Febr. 1617. eisdem Protonotariis pileum nigri coloris, cordulis violaceis circumornatum, & etiam serico suffultum cum floccis, & ornamentis ejusdem coloris deferre posse concessit.

In Ecclesiis Parochialibus Vrbis Romæ, & in aliis extra Vrbem Protonotarios præcedere Canonicos post Episcopos, ead. Sacra Rituum Congregatio 4. Julii 1621. declaravit.

Vnus ex dictis Protonotariis pro tempore in Congregatione de Propaganda fide intervenire consuevit ex Decreto Vrbani VIII.

Sacra Rit. Congregatio die 12. Februarii 1598. decrevit Protonotarios Apostolicos de numero participantium præcedere debere in Cappella Præceptorum Hospitalis Sancti Spiritus de Vrbe Archimandritam Civitatis Messanæ, & omnes Abbates usum Mitræ habentes.

Abbates vero Generales quatuor Ordinum, nempe S. Benedicti, Cluniacensis, Cistercienfis, & Præmonstratensis Protono-

tariis participantibus præferuntur, etiamsi Rocchettum gerant. Isti enim Abbates in Curia Romana sedent ad pedes Summi Pontificis in illa sede, in qua Protonotarii, & Episcopi, & videntur in hoc dicti Abbates præcedere Episcopos, eo quia viciniores sunt Pontifici. Ita Castan. in Catalogo glor. mundi consider. 31. dicit.

Eadem Sacra Rituum Congregatio sub die 13. Junii 1601. censuit Protonotarios prædictos præcedere posse Sacristam Pontificis. Ita refert Barbos. de Univers. Jur. Eccles. cap. 23.

Ex dicto Collegio Protonotariorum participantium septem primi & antiquiores aliquid amplius circa privilegia obtinent præ illis quinque; nempe in obitu, & creatione novi Pontificis scuta 434. monetæ pro habito nigro & violaceo illis solvuntur, quæ inter ipsos septem tantum dividuntur, de quibus alii quinque Protonotarii, prout in libris Mandatorum Cameræ Apostolicæ apparet, a tempore Sixti V. usque ad præsens numquam participarunt; ita in m. s. dicti Collegii.

Iidem septem antiquiores exemptionem sex lagenarum vini tam Ripalis, quam alterius generis, ex privilegio inveterato ha-

habent, ut ex notis dicti Collegii apparet.

Protonotarium Apostolicum, licet sit Clericus beneficiatus, nullum habere impedimentum pro contrahendo matrimonio respondit S. Episc. Congr. Episc. Nucerino 28. Julii 1587.

Correctorem litterarum Apostolicarum Protonotarios participantes praecedere dixit Cassaneus ubi supra consid. 30.

Ante Constitutionem Pii II. ut supra notavimus, Protonotarii de numero participantium praecedebant Episcopos, sed ipse in dicta Constitutione contrarium statuit, etiam ita hodie servatur, ut dicit gloss. in reg. Cancell. Apost. in reg. Julii II. ita refert Cassan. ubi sup.

PRIVILEGIA
PROTONOTARIORUM APOSTOLICORUM EXTRAORDINARIORUM.

VLtra prædictos Protonotarios participantes reperiuntur etiam alii Protonotarii extraordinarii, supernumerarii, sive honorarii nuncupati, ut dixit Polydor. Virgil. ubi sup. Cassaneus in dicto Catalogo Gloriæ Mundi d. consider. 29. Joan. Leo, & Barbos. dd. locis. Qui quidem a Pontifice Romano, a Legatis, sive a Nunciis Apostolicis, ac aliis hanc facultatem a Sede Apostolica habentibus gratuito creantur, & omnes ejus dignitates privilegiis perinde gaudent atque alii Ordinarii, sive de numero participantium, ut testatur idem Polydor. ubi sup. & Jo: Leo, qui dicit Protonotarios extraordinarios ad honores & dignitatem Prælaturæ esse vocatos, ut refert idem Barbos. dict. cap. 23. num. 15. quia Protonotariatus est dignitas, & Protonotarii

sunt

sunt Notarii Papæ, ut in cap. 2. &c. cum redemptor 12. q. 2. glos. 1. & in cap. scriptum de elect. d. Jo: Leo d. c. 2. numer. 35. par. 1. de grad. dignit.

Protonotarios igitur extraordinarios ad instar Prælatorum Curiæ Romanæ uti posse habitu Prælatitio nempe Rocchetto cum Mantelletto nigri, seu violacei coloris censuit Sacra Rituum Congregatio die 18, Julii 1626., & illum deserre neminem prohibere posse in Ecclesiis, & functionibus Ecclesiasticis, & cum eo incedere, juxta dispositionem Cæremonialis lib. 1. cap. 13. circa fin., ita Sacra Rituum Congregatio in Mazzarien. 28. Septembris 1590. & 5. Aprilis 1631. decrevit.

Isti Protonotarii ad hoc ut possint gestare Rocchettum necesse est, ut sint in ætate viginti annorum, nec possunt ante prædictam ætatem fieri Protonotarii; ita statuisse Paulum II. testatur Cassaneus, & hoc etiamsi post annum a die suæ promotionis ad Subdiaconatus ordinem promoveretur, consid. 29, §. Et extraordinarii.

Præcedunt omnes Clericos sæculares, & omnes Canonicos, non tamen in Choro, & collegialiter procedentes, ac omnes di-gni-

gnitates sine Prælatura, dummodo isti Protonotarii incedant in habitu Protonotariatus, alias sine habitu Prælatitio præsumerentur personæ simplices Ecclesiasticæ, ut dixit Cassaneus dicta consid. 29. part. 4. nisi essent personæ graves, & notæ, & communiter habitæ, & reputatæ pro Protonotariis, quia in personis notis non attenditur habitus, qui non facit Monachum, gloss. in cap. 2. verb. apparuerunt in fin. 27. q. 1. etiam si detur casus sedendi, vel accedendi, præcedunt etiam Generales Ordinum, ut legitur in Cæremonial. Episcop. lib. 1. cap. 13. & refert Franc. Leo par. 1. cap. 2. num. 5. vers. secundo ampliatur, & Barbos. ubi sup.

In Ecclesiis ubi non est Collegium Canonicorum sedere possunt in Presbyterio cum habitu prælatitio, & in processionibus post Sacramentum, vel post Celebrantem procedere Sacra Rituum Congregatio censuit 12. Julii 1628.

Præcedunt etiam Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, non tamen collegialiter incedentes, ut dixit Sacra Rituum Congregatio 12. Maii 1602. & 10. Julii 1605.

Vicariis omnibus cedere debere, dixit eadem Sacra Rituum Congregatio in Le-

gionen. 3. Aprilis 1604. annuente Pontifice.

Incedentes sine habitu Clericali Protonotarios extraordinarios gaudere fori privilegio tam in civilibus, quam in criminalibus, quamvis servitio alicujus Ecclesiæ adscripti non fuerint, Sacra Rit. Congregatio in Toletana 27. Maii 1632. decrevit

Isti Protonotarii licet non dicantur habere dignitatem hujusmodi in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, nihilominus eos habere dixit Sacr. Concil. Congreg. 1630. dignitatem in Ecclesia Romana, quæ est Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum, ut in cap. 2. de Summ. Trinit. cap. antiqua 25. de privileg. & ideo declaravit illos posse deputari Conservatores Religionum, & quamdiu hujusmodi officium exercent a nemine impediri posse, quominus exequantur contra inobedientes sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas promulgando. Ita docet Franciscus Leo de Conservatoribus, & prædictum officium quinquennio expleri dixit, ac semel electos in Conservatores mutari non licere cap. 3. num. 101. & seq. §. Conservatores.

Quando Protonotarii honorarii e-qui-

quitarent pileo prælatitio uti possunt ad instar participantium, & in eorum insignibus, seu armis illum apponere in signum honoris dignitatis, ut testatur idem Polyd. Virgil. loc. cit. & etiam censuit Sacra Rituum Congreg. in Cloma-cen. & Neocastren. 21. Augusti 1601. Barbos. ubi supra.

Circa possessus Canonizationis, seu Beatificationis Servorum Dei eandem facultatem habent, quam alii Protonotarii ordinarii de numero participantium, cum ab uno, eodemque Instituto originem trahant, ut idem Collegium Participantium in literis, quas solent dare & concedere ad tollenda dubia in partibus istis extraordinariis, testatur, ut inquit Barbosa in d. cap. 23. non propterea aliquid de novo tribuunt dictæ literæ eisdem Protonotariis extraordinariis, sed hujusmodi privilegia exprimunt, & nota aliqua ex parte inspicientibus reddunt, quæ literæ hodie habentibus ista privilegia non erunt amplius necessariæ.

Præferuntur dum in habito prælatitio incedunt dicti Protonotarii Nunciis Apostolicis, non Episcopis transeuntibus per Provincias, & Civitates, & etiam thurifi-

can-

cantur ante illos, ita scripsit quidam Auctor in Tractatu, quem intitolavit de Præcedentiis quæst. 42. num. 2. & seqq. qui quidem etiam docuit Protonotarium extraordinarium alicujus magni Principis consanguineum arbitrio Episcopi ante Dignitates in Choro thurificari posse, ubi supra.

Prædictos Protonotarios honorarios non præferri Referendariis Curiæ Romanæ Cassaneus dict. consid. 29. §. fin. dixit. Sed si dicti Referendarii morarentur extra Vrbem sine habitu Referendarii, ut solent, Protonotario incedenti cum habitu prælatitio præferri posse non præsumitur, cum indecens, & inconveniens videretur personam habitu simplici clericali induta anteferri Protonotario incedenti cum Rocchetto, & Mantelletto coloris violacei; ultra quod Referendarius tunc temporis est extra suum centrum, & extra suam Jurisdictionem, ideo non est habendus in consideratione in casu.

Protonotarii supranumerarii in iis tantum locorum Ordinariis subsunt, in quibus tamquam Sedis Apostolicæ Delegati procedunt; in cæteris vero exemptos remanere a Jurisdictione Episcoporum, quotiescumque incedunt in habitu Protono-

ta-

tarii, Barbos. ubi supra, & Sac. Conc. Congreg. ab eo relata.

In civilibus autem exemptos esse ab Ordinariis quoad causas excedentes summam ducator. Cam. Apost. 25. Ita Sacra Congregatio in Papien. 14 Decemb. 1639. & ex dicta Constitutione Leonis X. qui istos etiam Protonotarios exemit, prout alios de numero participantium, ut in §. 4. d. Constitut. vers. alii Notarii, & quia Concilium Tridentinum non derogavit privilegiis Protonotariorum, nisi in Causis criminalibus, in quibus Ordinarii juxta mentem Concilii contra eos procedere possunt tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ut Sac. Conc. Congreg. declaravit, ut videre est in Declarat. ad cap. 11. sess. 14. de reformat. ubi dixit hoc cap. non habere locum in civilibus Causis, sed in iis, quæ exprimuntur in Decreto Concilii, & in iis tantum, in quibus, ut diximus, Episcopus potest procedere uti Sedis Apostolicæ Delegatus, & non uti Ordinarius.

Beneficia Protonotariorum Apostolicorum, etiamsi non sint de numero participantium, sed ad instar, vel sint creati a Papa, vel a Legatis, aut a quocumque alio hujusmodi facultatem a Sede Apostolica

eā habente, exempra funt a collatione Ordinarii, qui ſtatim ac adepti ſunt, vel obtinuerint hanc Protonotariatus dignitatem, eorum beneficia affecta Sedi Apoſtolicæ dicuntur, & reſervata eidem, ut per Extravag. ad Regimen de præbend. & per regul. primam Cancell. Ibi ejusdem Sedis Notarii, Puteus deciſ. 329. lib. 2. & deciſ. 305.

Vnde ſequitur, non poſſe Protonotarium coram Ordinario ſua beneficia permutare cum alio, quia illa Ordinarius conferre non poteſt, ſed adeundus eſt Papam, ut conferat: Felin. in cap. In noſtra num. 12. de reſcript. Federic. de Senis conſ. 112. Barboſ. in d. cap. 23. num. 38. ratio eſt, quia in permutatione oriri veram vacationem dixit Rot. Rom. in dec. 1. num. 4. de rerum permutat.

Anulum in Miſſa Protonotarium geſtare non poſſe cenſuit Sacr. Rit. Congreg. 12. Februar. 1625. Neque paramenta ad Altare, ſed in Sacello, ſeu vulgo Sacriſtia ſumere debere dixit eadem Congregatio, ſicuti nec Abacum præparare dum celebrat more Epiſcoporum non poſſe decrevit in Clemacen. ſup. citat. & Barboſ. d. loco.

Pro-

Protonotarius, qui est Canonicus, in Choro subtaneam violaceam gestare potest, dummodo in cæteris habitum Canonico congruenti utatur, alias distributiones illum non lucrari dixit Sacr. Rit. Congreg. in una Panormitana 14. Julii 1612. & ideo Romæ passim videntur Prælati Canonici uti subtanea violacea in Choro, sed in reliquo habitum Canonicalem induunt.

Si Protonotarius Canonicus cum suo habitu incedat, & ad Chorum uti Canonicus accedat, potest sedere in loco suæ installationis, seu receptionis, sed distributiones non facit suas, prout Sacra Rit. Congreg. in Meliten. 7. Augusti 1611. censuit.

In aliis actibus competentibus sibi tanquam Canonico, potest semper uti habitu Protonotariatus, ut in Nullius Terræ Piscię Sacr. Rit. Congr. 19. Novembris 1611. censuit.

Protonotarius quando non esset Canonicus, in Choro non habet locum, nec supra, nec inter Canonicos; Sacr. Rit. Congreg. dixit in una Castellię, & Legionen. 30. Aprilis 1604.

In Processionibus Protonotarius habet locum post Episcopos, & post Collegium Canonicorum, ita vidi observari in

Vr-

Vrbe Roma, Barbof. de Canonic. & dignitat. cap. 18. num. 34.

Archidiaconus, qui est Protonotarius, non lucratur fructus suæ dignitatis Cathedralis, vel Collegiatæ, si cum habitu Protonotariatus in Ecclesia, Choro, Processionibus, ac in Divinis Officiis assistat, & assideat; & si voluerit in sua Ecclesia uti habitu Protonotarii, reputabitur tanquam persona extranea, & ei locus assignandus erit, non supra, & inter Canonicos, & Dignitates, sed post Abbates, & non poterit in publicis functionibus in assistentia Episcopi, ac aliis actibus sibi tanquam Archidiacono competentibus uti habitu Protonotarii, sed suo habitu Canonicali, ut Sacra Rit. Congreg. in una Asculana 6. Martii 1610. censuit. Barbos. ubi proximæ cap. 5, num. 53.

Archipresbyterum, licet sit Protonotarius, nihilominus in Choro, & Processionibus habitum differentem a Capitulari gestare non debere, neque in Altari se ad Missæ sacrificium parare posse, respondit Sacra Episc. Congreg. Archipresbytero Turriani 17. Augusti 1592. Idem de Archidiacono Protonotario rescripsit S. Congreg. Episcopo Camerinen. 30. Maii. 1583.

Et

Et hæc sunt, quæ de Protonotariorum privilegiis ex Bullis, & Constitutionibus Pontificum, ex Auctoribus approbatis, & ex Decretis Sacr. Congregationum alias editis, & receptis, nec non approbatis fideli calamo colligi potuere, prout infra legenti manifesto patet.

F I N I S.

BIBLOS
Firenze

